



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput V. Statuitur Epocha Regni Artaxerxis, & demonstratur Hebdomadum
Danielis initium, ac finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

21.
Argumento
chronologi-
co Harduini
Reſp.

Unicum reſtat argumentum Chronologicum, in quo non uno tantum capite peccat Harduinus. Principio non ait Daniel ſupputandas hebdomadas *ab exitu verbi*, quod fortassis foret ambiguum, ſed ait, *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*. Neque enim verum eſt *exitum ſermonis*, ut Harduinus contendit, non poſſe ſignificare Regis decretum: cum verbum **נאמר** ſignificet *ſermonem, aliquid, cauſam, negocium, præceptum, &c.* ut Pagninus, alique demonſtrant ex 2. Reg. 111. 12. Deut. 1v. 36. Exodi xviii. 16. xxiii. 4. &c. atque in hoc loco omnem ambiguitatem tollant ea verba, *ad reverti faciendum, & ad ædificandum, &c.* quæ nequeunt intelligi niſi de Edicto Urbem reædificandi. Deinde ſi velit expendere ea tantum verba, *Ab exitu ſermonis*, ut ea detorqueat ad divinam revelationem; cur non potius refert ad revelationem factam ipſi Danieli, de qua Angelus eodem cap. ix. v. 23. inquit, *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo?* Aut cur non ad re-

velationem Iſaiæ **vliv. 28.**? Rurſus hoc idem Harduini ſomnium fuit quorundam Hebræorum, quos confutarunt R. Aben-Ezra Comm. in Daniele, & R. Azarias in lib. Meor Enajim, eo quod non debeant anni captivitatis in deciſis ſeptimanas ſimul à Propheta comprehendî, atque ad unum referri terminum. Corruit itaque fictitium illud initium hebdomadarum à prophetia Jeremiæ. Male etiam conſtituitur terminus ſeptem hebdomadarum in Cyro, peſſime in exitu captivitatis, nam juxta Recentiorum Chronologiam annus 1v. Joakim incidit in annum Mundi 3398. Cyrus Mediam occupavit an. 3466. & monarchia potius eſt deſuncto poſt biennium Dario Medo, anno 3468. qui eſt captivitatis poſtreumus; ita ut 1v. annus Joakim ſit ſervitutis primus, & primus Cyri, ut dixi, ſervitutis ultimus; ideoque ab anno 1v. Joakim uſque ad Cyrum non fluxerunt anni 49. ſed 70. Quam Chronologiam ſi reſpuas, ſaltem annorum 70. interval- lum debes admittere.

C A P U T V.

Statuitur Epochæ Regni Artaxerſis, & demonſtratur Hebdomadam Danielis initium, ac finis.

S U M M A R I U M.

1. Præliminaria ad propoſitionem.
2. Propoſitio 1. cum probationibus.
3. Propoſitio 2da cum ſuis probationibus.

4. Chronologia Authoris.
5. Uſque ad 10. propoſitio tertia demonſtratur.
10. Uſque ad finem ſolvuntur objectiones.

1.
Prælimina-
ria ad pro-
poſitionem.

LIQUET ex præcedenti hebdomadas Danielis ſupputandas ab Edicto Regis Perſarum de urbe Jeruſolyma reædificanda, & complendas in morte Chriſti, quam conſignare neceſſe ſit anno ab illarum hebdomadarum exordio 486. concurrente cum dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ. Quatuor autem Regum Perſarum pro Judæis decreta colligunt nonnulli ex Scripturis. Emanatum eſt primum initio Regni Cyri conditoris Perſarum Monarchiæ, de quo Iſaias cap. **xliv. 28.** & Eſdras cap. 1. 1. Promulgatum eſt alterum anno 2. Darii, quem Scaliger Nothum putavit, conſtat autem fuiſſe Hyſtaſpidem: de quo edicto vide 1. Eſdræ 1v. 24. & vi. 1. Emiſſum eſt 111. diploma anno Artaxerſis vii. quo Eſdras cum plena Regis facultate Jeruſolymam aſcendit, ut habetur eodem libro cap. vii. 6 & 7. Edictum poſtreum obtinuit Nehemias ejusdem Artaxerſis pincerna anno Regis viceſimo, ut habetur 2. Eſdræ cap. 11. 1. Nullum jam dubium eſt hunc Artaxerſem fuiſſe

Longimanum filium Xerſis filii Darii Hyſtaſpidis.

Conveniunt recentiores accurati Chronologi annos ante Chriſti nativitatem coarctantes ad 4000. fundatam à Cyro Monarchiam Perſarum anno M. 3468. P. Julianæ 4178. ante Vulgarem Aeram, ſive Natale Chriſti Dionyſianum 536. & Darium Hyſtaſpidem regno potitum an. M. 3483. P. Jul. 4193. ante Aeram Chriſtianam 521. De Artaxerſe autem nequeunt Chronologi convenire. Nam ſupputantes hebdomades Danielis ab anno ejus ſeptimo, ajunt obtinuiſſe regnum an. M. 3540. P. J. 4250. ante Ae. Ch. 464. ita ut annus ſeptimus ſit M. 3547. P. Jul. 4257. ante Ae. Ch. 457. quibus ſi addantur anni 29. Ae. Dionyſianæ, quo anno Chriſtum afixum cruci Chronologi illi propugnant, reſultat annus ab initio hebdomadarum 486. qui dimidium eſt hebdomadæ ſeptuageſimæ. Qui autem ſeptimanas putant ab anno Artaxerſis viceſimo, contendunt regno potitum anno M. 3531. P. Jul. 4241. ante Ae. V. 473. ita ut an-

C 3

nus

nus xx. incidat in annum M. 3551. P. Jul. 4261. ante V. Ae. 453. Ab hoc autem anno usque ad 33. Ae. V. in quo statuunt Christi mortem, fluxerunt pariter anni 486. & rectissime eadem hebdomadarum coalescit supputatio. Pendet ergo totius difficultatis enodatio ab Epocha Regni Artaxerxis Longimani, quam figere modo constitui.

2.
Propositio I.
cum suis
probationi-
bus.

PROPOSITIO I. Artaxerxes regno potitus est an. M. 3540. P. Jul. 4250. ante Ae. V. 464.

Demonstratur I. Eusebius in Chronico, quem sequuntur Sigonius de Republic. Atheniensium, alique complures, & quem in hoc non errare commonstrant proxima momenta, statuit principium regni Artaxerxis Longimani an. 1. Olympiadis LXXIX. Annus 1. Olymp. LXXIX. omnium consensu est ante Ae. V. 464: & juxta supputationem, quam etiam Adversarii nostri sequuntur, M. 3540. Ergo hoc ipso anno regnum iniit Longimanus. II. Julius Africanus antiquissimus temporum supputator, ut ait Hieronymus in cap. ix. Danielis, scribit annum viceimum Artaxerxis esse *octogesima & tertia Olymp. annum quartum*. At si retro enumeras ab anno 4. Olymp. LXXXIII. viginti annos, pervenies ad ann. 1. Olymp. LXXIX. legitur anno 1. Olymp. LXXIX. signandum est initium regni Artaxerxis. III. Diodorus lib. xi. Biblioth. scribit Xersem patrem Artaxerxis fuisse interfectum ab Artabano anno 4. Olymp. LXXVIII. At Artaxerxes omnium Historicorum testimonio statim defuncto Patri successit. Fuit ergo regni ejus primus annus ineunte Olympiade LXXIX. IV. Idem Diodorus libro xi. inquit Artaxersem vita functum anno 4. Olymp. LXXXVIII. *cum regnasset annos quadraginta*. Atqui anni 40. non desinunt in anno 1. Olymp. LXXXVIII. nisi supputentur ab anno 1. Olymp. LXXIX. Ab hoc ergo anno Regnum Artaxerxis inchoandum est. V. Xerxes Darii filius, & Artaxerxis pater juxta accuratam recentiorum chronotaxim adeptus est regnum anno Mundi 3519. ante Ae. Vul. 485. At regnavit annis XXI. aut saltem XX. mensesque aliquot, ut tradunt Eusebius in Chronico, Severus Sulpitius lib. 2. Georgius Syncellus pag. 76. edit. Parisiensis, Diodorus Siculus apud Salianum, ad annum Mundi 3589. II. Sigonius in libro de Atheniensium Temporibus, alique communiter. Computati autem anni XXI. aut XX. ab anno Mundi 3519. & ante Aeram Vulgarem 485. desinunt in anno

Mundi 3540. aut in postremos menses anni praecedentis. Anno ergo Mundi 3540. sive P. J. 4250. regnare coepit Artaxerxes Longimanus Xerxis filius. Atque id, inquit doctissimus Gravefoniuss differt. xv. de Myst. & An. Christi, paragrapho primo, *extra omnem dubitationis aleam positum esse debet.*

PROPOSITIO II. Nullo pacto consignari potest annus viceimus Artaxerxis anno M. 3551. P. Jul. 4261. ante Ae. V. 453.

3.
Proposit. II.
cum suis
probationi-
bus.

Demonstratur I. Initium regni Artaxerxis est, ut vidimus, an. M. 3540. P. Jul. 4250. ante Ae. Ch. 464. Ergo annus viceimus Artaxerxis erit an. M. 3560. P. Jul. 4270. ante V. Ae. 444. & labitur nova Chronologia annis ix. II. Xerxes occisus est, ut liquet ex dictis, anno 4. Olymp. LXXVIII. postquam regnaverat annis 21. regnum enim auspiciatus est juxta probatam ab adversariis nostris Chronologiam anno M. 3519. à quo usque ad annum 3540. & ad 1. Olymp. LXXIX. fluxerunt anni 21. Igitur annus 20. Artaxerxis est ann. M. 3560. III. Ut annus 20. Artaxerxis statuatur an. M. 3551. vel, ut alii putant, anno proximo praecedenti, cum Xerxes regnare coepit. an. 3519. consequens est, ut obierit anno 3531. vix exacto anno regni sui duodecimo. Atqui Xerxes regnavit annos XXI. aut saltem XX. communi Veterum consensione. Ergo Xerxes, ut etiam supra demonstratum est, obiit anno Mundi 3539. aut 3540. qui est annus 1. Regni Artaxerxis. IV. Ut Adversarii nostri hunc nodum solvant, contendunt cum Usserio supputandum annum primum Artaxerxis ab anno, quo Xerxes omnes Graecos adversus se concitavit, & ante expeditionem ad Bellum Persicum designavit juxta patrias leges haerem regni, ita ut Artaxerxi regni sui anni 48. tribuendi sint, patri vix 12. At hoc unum Adversariorum nostrorum praesidium validissimis argumentis concutitur. Primo si fateamur Artaxersem jam ab anno XI. patris designatum fuisse Regni successorem: ergone ab eo anno regnavit? Deinde processit Xerxes ad Bellum Persicum anno 1. Olymp. LXXV. regnare autem coepit anno 3. Olymp. LXXIII. interfectus est anno 4. Olymp. LXXVIII. ut constat ex praecedenti propositione, & ex Sigonio de Republic. Athen. & Meursio de Archontibus Athenarum. Igitur si regnum Xerxis perduravit duntaxat usque ad Bellum Persicum, quinque tantum annis regnavit, non 12. si vero

vero ad annum 4. Olymp. LXXVIII. re-
gnavit annis 21. quod nos cum proba-
tiſſimis Chronologis affirmamus. Præ-
terea detur uſque ad Perſicam expeditio-
nem fluxiſſe Xerſis annos XII., nequeunt
ab anno XII. Xerſis ſupputari anni Ar-
taxerſis 48. Vel enim aſſeris cum Pere-
rio & Petavio à Xerſe filium in regni com-
munionem fuiſſe adſcitum, vel cum Uſ-
ſerio detrahis ab annis Xerſis annos 8. ad-
dendos annis 40. Artaxerſis. Atqui Ar-
taxerſes non fuit à Patre aſſumptus in
regni communionem, cum ex Juſtino lib.
III. conſtet fuiſſe puerum cum Xerſes
occiſus fuit ab Artabano. Quam ergo
Artaxerſes ætatem duxit vertente anno
paterni regni duodecimo? Accedit quod
Petavius ſententiam ſuam nititur proba-
re ex fuga Themistoſolis, qui, ut demon-
ſtrat Huetius D. E. Prop. IX. cap. VIII.

non Artaxerſem, ſed Xerſem, nondum
imperante filio, convenit: & ſi ad Ar-
taxerſem ſcribunt aliqui confuſiſſe, id
factum narrant poſt mortem Xerſis. Ne-
que ſtatuenda eſt Epochæ regni Artaxer-
ſis cum Uſſerio an. M. 3531. P. Jul. 4241.
ant. V. Ae. 473. Nam Ptolomæus in Ca-
none Math. Diodorus lib. XI. Bibl. Eufe-
bius in Chron. & omnes veteres tribuunt
Xerſi annos XXI. Artaxerſi XL. aut Ar-
taxerſi XL. Xerſi XX. Cur ergo uni XII.
alteri XLVIII. tribuamus? Denique mor-
tem Xerſis incidere in annum 4. Olymp.
LXXVIII. apertiſſime à nobis demonſtra-
tum eſt ſupra, ideoque perperam anni
hujus Regis detruncantur.

Ex his colligitur emendandas eſſe ta-
bularum Chronologicarum, & ſupputationes
Regum Perſarum ad hunc modum:

6.
Chronologia
Authoris.

Cyrus Monarchiam Perſarum fundavit an.	3468.	ante Ae. V.	536.
Cambiſes iniiit regnum.	3475.		529.
Darius Hyſtaſpis.	3483.		521.
Xerſes.	3519.		485.
Artaxerſes Long.	3540.		464.
Xerſes II.	1580.		424.
Darius Nothus.	3581.		423.
Artax. Mnemon.	3600.		404.
Ochus.	3643.		361.
Aſen.	3656.		338.
Darius Codom.	3668.		336.
Regnavit annis 6.	3674.		330.

Cyro itaque tribuuntur anni VII. Cam-
biſi VIII. in quibus comprehenduntur
Magi 7. menſes. Dario Hyſtaſpidi XXXVI.
Xerſi XXI. Artaxerſi Longimano XL. Xer-
ſi II. & Secundiano I. Ocho, qui & Da-
rius Nothus, XIX. Artaxerſi Mnemoni
XLIII. Ocho XXIII. Aſen III. Dario
Codomano VI. Hunc expugnavit Ale-
xander Philippi Macedo.

PROPOSITIO III. Hebdomades Danie-
lis initium ducunt ab an. VII. Artaxerſis
Longimani.

Demonſtratur I. Annus Artaxerſis VII.
eſt annus M. 3547. ante Ae. V. 457. P.
Jul. 4257. & annus 4. Olymp. LXXX. Ab
hoc anno ſupputandæ ſunt hebdomadæ
Danielis. Ergo hebdomadæ Danielis ſuppu-
tandæ ſunt ab anno VII. Artaxerſis. Pro-
batur minor. Chriſtus, ut ſuo loco demon-
ſtrabitur, mortuus eſt anno Ae. V. 29. P.
Jul. 4742. anno I. Olymp. CCII. mortuus
eſt autem in medio hebdomadæ LXX. ſive
poſt annos 486. jam exactos ab heb-
domadarum initio. Atqui ſi ab anno Ae.
V. 29. P. Jul. 4742. & primo Olymp.
CCII. retrocedas per annos 486. jam exa-
ctos, pervenies ad annum M. 3547. P.
Jul. 4257. & ad an. 4. Olymp. LXXX. qui

eſt VII. Artaxerſis. Igitur ab anno VII.
Artaxerſis hebdomadæ Danielis ſuppu-
tandæ ſunt. Demonſtratur 2. Quoniam
prædictæ hebdomadæ, ut conſtat ex ca-
pite præcedenti, referuntur ad mortem
Chriſti. Si ergo Chriſtus, ut nunc ſup-
ponimus, mortuus eſt anno Ae. V. XXIX.
debent ſupputari ab anno ante Ae. V. 457.
addas annos 29. reſultat dimidium heb-
domadæ LXX., incidens in an. 486. Hæc
in nulla alia Chronotaxi poſſunt conve-
nire, niſi aut pervertas Epocham Regum
Perſarum, aut retrahas annum Paſſionis
Chriſti.

Idem demonſtratur revocando nos ab
abaco rationali ad prophetiam Danielis.
Supputandæ ſunt hebdomadæ ab amplo
Regum Perſarum diplomate, atque à fa-
cultate Judæis facta redeundi in patriam,
reædificandi templum, urbemque Jeru-
ſalem: id enim ſonant verba Prophetæ,
*Ab exitu ſermonis ad reverti faciendum
& ad ædificandum Jeruſalem.* Atqui
plena illa, & ampla facultas facta eſt an-
no Artaxerſis Longimani ſeptimo. Igi-
tur ab hoc anno ſunt prædictæ hebdo-
mades ſupputandæ. Probatur minor.
Decretum enim conſeſſum Eſdræ anno
Regis

5.
Propoſitio
III.

6.
Demonſtra-
tur I.

Regis septimo est: *A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat. En facultas, ut omnes pro libitu reverterentur. Sequitur decretum: A facie enim Regis, & septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua. En data Estdræ Αυτονομία, & potestas utendi suis juribus. Sunt in regio diplomare & hæc verba: Libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro ut faciat, juxta voluntatem Dei vestri facite. En restitutus Dei cultus, & data facultas in quodlibet opus erogandi pecuniam: & postremo concessa est Estdræ immunitas ab omni tributo, & plenissima judicandi auctoritas. Vide regium Edictum lib. 1. Estdræ cap. vii. à v. 12. ad 28. Dedit ergo Rex Estdræ omnem, ac plenissimam facultatem, atque ut ibidem legitur v. 6. omnem petitionem ejus,*

8. Occurritur effugio Ad versarium.

Qui repetunt hebdomadarum initium ab anno Artaxerxis xx. inquit nullum in tam amplo decreto extare verbum de Urbe reedificanda. Non extat quidem expresse, sed, si diploma expendas, extat majori, quam si expressum foret, munificentia. Primo enim, quid est *dare omnem petitionem*, nisi supplicationibus Estdræ nihil penitus denegare? Deinde cui populo à vectigalibus & tributis immuni, consistenti in patria, atque facto *αὐτονομία*, sui que juris, urbem construendi facultas aut lege aliqua, aut consuetudine denegatur? Præterea si potuit Estdras insumere argentum in omni opere, quod ei placuisset, cur non potuit sumptus facere in moenibus construendis? Ad hæc revera ab anno Artaxerxis vii. coepit Jerusalem ædificari; nam ideo Nehemias anno Artaxerxis xx. novum de reedificanda Urbe diploma impetravit, quod veniens Hananus retulit Judæos in afflictione magna esse, & murum Jerusalem dissipatum, & portas combustas: quo accepto nuncio Nehemias amare flevit, & ad Artaxersem accedens doloris sui causam exposuit, obtinuitque facultatem proficiscendi in Judæam. Vide 2. Estdræ cap. 1. & 11. Sane non fuit hujus luctus, novique decreti causa devastatio Urbis facta à Chaldæis sub Nabuchodonosore; cur enim de hac, quam

noverat, Nehemias interrogasset Hananum? cur audita dissipatione murorum fuisset tam acerbe contristatus? Iterum ergo ab iis, qui ægre ferebant prosperitatem Israel, sive Moabitæ fuerint, sive alii finitimi, ædificium coeptum ab Estdra fuit dissipatum. Hinc anno xx. Artaxerxis potius Nehemias facultatem obtinuit proficiscendi in Jerusalem, & vi decreti ab anno jam septimo emanati ædificandi Urbem, quam decretum novum, & à præcedenti diversum. Legimus quippe lib. 2. Estdræ c. p. 11. 5. ita dixisse Nehemiam: *Si videtur Regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mitas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Legimus v. 6. Regem annuisse. Legimus v. 7. & 8. petiisse Nehemiam Epistolas Regis ad duces Regionis trans Flumen, ut nulla accepta molestia traduceretur in Judæam, & Epistolam ad Asaph custodem saltus, ut ei ligna concederet. Decretum non legimus, nisi promulgatum anno vii. Regis, & ad verbum in cap. xii. libri primi Estdræ enarratum. Vi ergo hujus Edicti Nehemias Jerosolymam ædificaturus à Rege Artaxerxe discessit: aut si novum obtinuit diploma, fuit innovatio prioris.

Demum in sententiæ nostræ confirmationem accedit, quod præter exactissimam hebdomadarum supputationem & exitum in anno passionis Christi, ac præter literalem prophetiæ sensum, absque ullo nexu distinguitur facta à Daniele hebdomadarum particio. Primo enim Daniel absolute connumerat septimanas lxx. Deinde ab Edicto de reedificanda urbe usque ad Christum vii. & lxi. Postea ait occidendum Christum post hebdomadas lxi. tandem inquit confirmandum à Christo pactum in hebdomada 1. & in medio hebdomadæ esse occidendum. Revelavit quippe Danieli Gabriel Angelus decisa esse super populum & super urbem sanctam Jerusalem sabбата lxx. id est, à populo Israel in Urbe Jerosolyma celebranda fore lxx. Sabbata sabbatorum ante finem peccati, & humani generis Redemptionem. Atque tot celebrata revera sunt. Nam si primum sabbatum incipit anno ante Ae. V. 457. septuagesimum incipit anno Ae. V. 26. Posita ergo Judæorum *Autonomia* in anno vii. Artaxerxis habes septuaginta hebdomadas decisas super populum Israel, & super Civitatem sanctam; nam proximo sabbato jam deleta erat iniquitas. Ab ea vero *Autonomia* usque ad manifestationem Christi, sive ab anno ante Ae. V. 457.

9. Confirmatur.

457. usque ad annum xv. Tiberii Caesaris Ae. Vulg. 26. quo Christus baptizatus est, sunt hebdomadae vii. & lxi. id est anni 483. Si disjungas hebdomadas vii. ab lxi. illae vii. comprehendunt annos 49. qui sunt inter unum & alterum Jubilaeum. Posito ergo primo anno sabbatico in anno vii. Artaxerxis ante Ae. V. 457. Jubilaeum erit anno ante Ae. Vulg. 408. Porro si Christus passus est an. Ae. V. 29. passus est post hebdomadas lxi. id est post annos 434. & in dimidio sequentis hebdomadae. In ultima hebdomada confirmasse pactum, & in medio hebdomadae fuisse affixum cruci, satis manifestum est. Igitur si constituas initium hebdomadarum anno Artax. vii. coharet etiam illarum accurata sectio & partitio: & si hanc tribuere velis idiomatici hebraico saepe minorem numerum praepone, adhuc habes ab anno vii. Artaxerxis usque ad Christum praefixum annorum numerum, ut constat ex Chronologicis demonstrationibus paulo supra productis.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

10. *Opponitur.* Perpaucam adversus productam Chronotaxin opponi possunt, eaque ex dictis facillime diluuntur. Oppones 1. Cyrus omnium primus facultatem fecit urbem reaedificandi, quemadmodum praedixerat Isaias xlv. 28. & completum esse constat ex cap. 1. libri primi Esdrae.

11. *Respondetur.* Resp. non posse ab anno 1. Cyri initium ducere Danielis hebdomadas, sive spectata Chronologia, temporumque ratione, sive concessa ab eo facultate. Si expendas Chronologiam, ab anno 1. Cyri usque ad Christi Passionem fluxerunt anni 565. cum Monarchiam condiderit anno ante Ae. V. 536. Christus vero cruci affixus sit anno ejusdem Aerae 29. Si attendas factam à Cyro facultatem, extenditur illa duntaxat ad Templi aedificationem, non ad muros urbis, at apparet ex laudato cap. 1. Esdrae v. 2. & 3. Nihilominus tamen minus completum in Cyro est Isaiæ vaticinium, in quantum ipse facta Judæis potestate redeundi, fuit restorationis Jerosolymorum primus auctor; & per ejus successores ac filios, quibus Prophetae patronymice tribuere solent nomina patrum, ut Augustinus demonstrat octava ad Dulcitium quaestione, completa est Dei voluntas.

12. *Opponitur.* Opp. 2. Putabimus ergo septimanas cum Scaligero, & Drusio ab anno 2. Darii Nothi, quem dedisse eandem facultatem Hebraeis liquet ex cap. vi. libri 1. Esdrae.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

Resp. Scaligeri sententiam hisdem momentis everti; quippe non coharet cum ratione temporum, quoniam annus 2. Darii Nothi est ante Ae. V. 422. ideoque ab anno 2. Darii usque ad annum 29. ejusdem Aerae anni tantum 451. fluxerunt, & defuncti usque ad complementum temporis praedefiniti à Daniele anni 35. Neque coharet cum Prophetico Danielis oraculo, eoquod decretum Darii est idem ac decretum Cyri cuius autographum inventum est in Ecbatani, spectatque ad solam aedificationem Templi, ut patet ex cap. 6. libri 1. Esdrae v. 2. & 3. Addo absurditatem opinionis Scaligeri, ex qua sequitur Zorobabelem & Jesum Josedecidem superasse humanæ vitae diuturnitatem. Etenim Zorobabel anno 1. Cyri, qui fuit annus M. 3468. erat dux Hebraeorum: annus autem 2. Darii Nothi incidit in annum M. 3581. tenebat ergo Zorobabel Judæorum principatum regnante Dario an. 114. Adde incertos annos, quibus Zorobabel vixerat antequam principatum iniret, & reverteretur in terram Judæ, annosque vitae suae post annum 2. Darii Nothi. Quod argumentum valet de Josue, cum & ipse cum Zorobabele reversus sit in Jerusalem anno 1. Cyri, ut constat ex cap. 2. libri primi Esdrae, & superstes fuerit sub Dario, & Artaxerse; ut liquet ex lib. 2. cap. vii. Lapsus est ergo Scaliger, quod legerit cap. iv. lib. 1. nomen Artaxerxis, qui regnavit ante Darium, non animadvertens Artaxersem illum esse Cambisem, & Artaxerxis nomen, quod significat *strenuum bellatorem*, Regibus Persarum fuisse commune. Debit ergo pro anno 2. Darii Nothi statuere annum 2. Darii Hystaspidis, id est, annum M. 3484. ante Ae. V. 520. Verum & ab hoc anno usque ad annum 29. Ae. Dionysianæ fluxerunt plus quam lxx. hebdomadae, & anni 549. atque decretum Darii nil addidit decreto Cyri, ut dictum est modo.

14. *Opponitur.* Opp. 3. Repetendum est hebdomadarum initium ab anno xx. Artaxerxis Longimani, qui Nehemiæ dedit amplissimam aedificandi Jerusalem auctoritatem, ut habetur 2. Esdrae cap. 11. 5. & 6. Non ergo ab ejusdem Regis anno septimo.

15. *Respond.* Resp. ab anno 20. Artaxerxis ad annum 29. Aerae Vulgaris fluxisse annos tantum 473. ut constat ex propositione 1. haud recte alligari ab Ulsterianis vicesimum Artaxerxis anno ante Vulg. Ae. 453. ut liquet ex propositione 2. falso supponi Esdræ non obtinuisse anno Artaxerxis vii. facultatem aedificandi Jerosolymam, ut apparet ex Prop. 3. non bene poni passio-

passionem Christi anno Vulg. Ae. 33. ut nunc supponimus.

16. Opponitur ultimo. Daniel enumerat hebdomadas annorum Lunarum, ut post Africanum tenuerunt quamplures, praefertim Theodoretus, Zonaras, Pererius, Huetius. Nam hebraei annos numerant juxta cursum lunae; & Propheta ait loqui se de hebdomadibus *abbreviatis*.

17. Respondetur. Resp. Hebraeos juxta lunae cursum numerare quidem menses, sed non annos. Etenim quotannis celebrant Pascha luna xiv. primi mensis, incipiunt autem annum suum à prima luna propinquiore Aequinoctio Verno; quod ni facerent, cum annus solaris superet annum lunarem diebus undecim, & lunae cursus peragatur intra viginti novem dies, & sex horas; post certum annorum intervalum deberent in eodem anno bis Pascha facere: hoc autem incommodum devi-

tant usu mensis embolismalis, sive intercalaris, quo luna complere possit annum solis lustrationem. Praecepto etiam Exodi xxxiv. 22. singulis annis celebrant solemnitatem Tabernaculorum, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur, & consequenter annum solarem observant; quoniam festum Tabernaculorum singulis annis septem aperiebat in Autumno sabbatum terrae. Igitur & Daniel solares annos spectavit, maxime quod lunares anni 490. nequeant praecise in annum Passionis Christi cadere, ut quisque ductis calculis deprehenderet. *Abbreviata* ergo Daniel appellavit hebdomadas lxx. quia numerus est *defectus* & definitus; neque in fine postremae hebdomadis, sed *in dimidio* occisus est Christus. Subjiciam ad pleniorum hujus quaestionis intelligentiam numericum Hebdomadarum paradigma.

18. Paradigma numericum Hebdomad. Danielis.

Incipit H.

I. Anno ante V. Ae.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII. & I. ex lxi.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

XXXII.

XXXIII.

XXXIV.

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

XXXVIII.

XXXIX.

XL.

457.

450.

443.

436.

429.

422.

415.

408.

401.

394.

387.

380.

373.

366.

359.

352.

345.

338.

331.

324.

317.

310.

303.

296.

289.

282.

275.

268.

261.

254.

247.

240.

233.

226.

219.

212.

205.

198.

191.

184.

M. 3547.

M. 3596.

XLI.

XLI.	177.
XLII.	170.
XLIII.	163.
XLIV.	156.
XLV.	149.
XLVI.	142.
XLVII.	135.
XLVIII.	128.
XLIX.	121.
L.	114.
LI.	107.
LII.	100.
LIII.	93.
LIV.	86.
LV.	79.
LVI.	72.
LVII.	65.
LVIII.	58.
LIX.	51.
LX.	44.
LXI.	37.
LXII.	30.
LXIII.	23.
LXIV.	16.
LXV.	9.
LXVI.	2.
LXVII. An. Aeræ Vulg.	5.
LXVIII.	12.
LXIX.	19.
LXX.	26.

Hoc anno baptizatus eſt Chriſtus.

Dimidium H, ſive anni III. 29.

Hoc anno Chriſtus paſſus eſt.

C A P U T VI.

Refelluntur Hebræi ex propria, licet corrupta,
illorum Chronologia.

S U M M A R I U M.

1. Falſitas Chronologiæ Judaicæ.
2. Chronologia Hebraica.
3. Diſcrepantia Rabbinorum in computatione hebdomadarum Danielis.
4. Non coherent ſupputationes Judæorum cum Prophetia Danielis.
5. Non fuerunt hebdomadæ completæ in Hircano.
6. Non valet ſupputatio Hebræorum à templo diruto.

I.
Falſitas Chronologiæ Judaicæ.

HEBRÆI legentes in ſacris Bibliis nomina Regum Perſarum Cyri, Aſueri, Darii, & Artaxerſis, non attendentes narrari ibidem ſacram duntaxat hiftoriam, & commemorari Reges, qui ad hanc ſpectant, cæteris prætermiſſis; ignorarunt Xerſes duos, Arſen, Ochum, alterum Artaxerſem, aliumque Darium: quos tamen extiſſe profanæ omnes hiftoriæ teſtantur. Falſa hinc Judaica Chronotaxis deprehenditur. Ex ea tamen perſpicaces poſſumus refutare, pugnantibus adverſus mendacia mendaciis.

Ex Judæorum Chronicis apud ipſos pervulgatis, & ab unoquoque Rabbino- rum receptis, quæ legi poſſunt apud Genebrardum in libro *Sepher Olam*, ſive Chronologia Hebræorum, & 2. volum. Biblioth. Rabbinicæ Julii Bartolocci p. 313. liquet Nabuchodonoforem expugnata Ninive imperium ſuum fuiſſe auſpicatum anno mundi juxta hebraicum computum 3319. Is anno tertio regni Joakim deſinente obſedit Jeruſalem, & rex Judæ anno quarto regni ſui factus eſt ſervus illius, ac ſub ejus poteſtate ſtetit tribus annis. Anno tertio rebellionis Joakim,

D 2

kim,